



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 59. Hugo Dux Burgundiæ. Monachus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Saeculum XI. ci filio, cujus Præceptor fuit, inscri-
pta.

Cyropal.
864

Nicephorus Imperator, elata uxore viduus, secundis nuptiis Mariam, Michaelis Antecessoris sui conjugem, duxit, ipso superstite. Hinc etiam ille Sacerdos, qui eis Benedictionem nuptialem impertitus fuerat, depositus. At Michael Imperator, postquam vitam monasticam amplexus est, in quodam Concilio ordinatus est Metropolita Ephesus; semel autem tantum illo profectus & Constantinopolim reversus in Monasterio Manuelis supremum diem obiit.

§. LXI.

Hugo Dux Burgundiæ, Monachus.

Eodem anno millesimo septuagesimo octavo Hugo Dux Burgundiæ Cluniaci cucullum induit. Is avum habebat Robertum, Regis Roberti, & primi Burgundiæ Ducis, ex genere Regum Francorum orti, filium. Cumque Hugo Majoribus suis anno millesimo septuagesimo quinto successisset, Ducatum annis ferme tribus rexit. Tunc vero Salutis suæ desiderio motus, relicto mundo, Disciplinæ Hugonis Abbatis Cluniacensis, Propinqui sui, se tradidit. Ad hoc autem propositum capiendum accensus fuisse fertur

Mabill. Sac.
6. p. 2 p. 373.

fertur exemplo Simonis Comitis Crepia-Sæculum XI.
 censis in Ducatu Valesio, potentissimo- A.C. 1078.

rum Franciæ Principum nulli secundi,
 qui ante biennium Sponsam suam prima
 nuptiarum nocte hortatu eo adduxerat,
 ut Virginitatem suam Deo donaret, &
 relictis omnibus monachorum Institu-
 tum ad S. Claudium in Burgundia susce-
 perat, ubi die ultima Septembris anno
 millesimo octogesimo secundo sancte vi-
 tam finivit, postquam decem duodecim-
 ve monasteria extruxisset. Papa, com-
 perto, quod Dux Burgundiæ Monachum
 professus fuisset, hac de re Abbati Clu- VI.ep. 17.
 niacensi scripsit in hæc verba: *Cur, fra-
 ter carissime, non perpendis, in quanto pe-
 riculo Ecclesia versetur? ubi jam inve-
 niemus viros, qui fortia pectora impiis
 opponant, & qui pro veritate, si opus fue-
 rit, moriendum sibi esse existiment? Homi-
 nes, qui Deum amare videntur, Jesu Chri-
 sti castra deserunt, Salutem fratrum suo-
 rum postponunt, & se ipsos tantum aman-
 tes, quietem quærunt. Fugiunt pastores,
 fugiunt & canes, quorum esset gregem de-
 fendere; ita lupi & latrones nemine resi-
 stente Christi oves invadunt. Abstulisti
 Ecclesiæ, vel desertorem recepisti saltem
 in claustra Cluniacensi Ducem Burgun-
 dia, & effecisti, ut jam centum Christia-
 norum millia sine custode periclitentur.*

Sæculum XI. *Quod si nostra monita apud te parum valuerunt, cur gemitus pauperum, cur viduarum & orphanorum lacrymæ, ruina Ecclesiarum, monachorum & Sacerdotum querela te non moverunt? multos monachos virosque privatos Deum timentes reperire est, at bonum Principem in toto Occidente vix unum invenies.* Hæc epistola die secunda Januarii anno millesimo septuagesimo nono data est.

Ex ea dispicimus, quanto in pretio Dux Burgundiæ & ipsi Papæ & cunctis Sæcularibus fuerit. Ex pluribus etiam diplomatibus ejusdem pietas probatur, qua Ecclesiis a patre & majoribus suis ablata restituit; nam tribus annis, quibus Republicam Burgundiæ gubernavit, ubi eximiam justitiam bonorum omnium amor, & improborum terror extitit. Postquam vero monasticam professionem amplexus est, sancta viri humilitas omnibus admirationi fuit, se vilissimis quibusvis adeo submittentis, ut fratrum calceos purgare non detrectaret. Postquam annis quindecim, eodem ferme tempore datum sibi exemplum Simonis Crepinianensis secutus, perseverasset, anno millesimo nonagesimo tertio obiit. Guido quoque Comes Matisconensis se cum filiis suis Cluniacum recepit; unde hic Comitatus iterum junctus est Burgundiæ

diæ Ducatui, qui Odoni, cognomento *Sæculum XI.*
Borel, Hugonis fratri cæssit. *A.C. 1079.*

§. LX.

Concilium Romanum Sextum. Berengarius retractat.

Eodem anno millesimo septuagesimo nono, mense Februario, Gregorius VII. Romæ in Ecclesia S. Salvatoris Concilium celebravit, cui Episcopi centum quinquaginta interfuerunt, atque inter alios Henricus Patriarcha Aquilejensis, Petrus ignitus Episcopus Albanensis, S. Anselmus Lucensis, Landulfus Pisanus, Regnerius Florentinus, Hugo Diensis, & Altmannus Pataviensis. Affirmabant plerique, per verba Consecrationis & virtutem Spiritus Sancti, panis & vini substantiam mutari in Corpus Domini nostri, qui natus est ex Virgine, qui eruxi affixus est, & in Sanguinem, qui de ejus latere fluxit. (*) Idque auctoritate

to. 10. p. 378.
Mabil. præf.
2. Sæc. 6.
n. 28. 29. &c.

Anony. tom.
10. Conc. p.
1051.

(*) Non erat novo hoc Sæculo ista de præsentia reali in Evcharistia Doctrina, ut Protestantes garrunt; quippe similia docuit de Sanctissimo Mysterio S. Ignatius in epistola ad Smirnenenses anno Christi circiter centesimo septimo, ubi dicit: *De oratione & Evcharistia non participant (Hæretici illius ætatis) quia negant Evcharistiam*